

SUBGENUS III HOLOTHURIA.

Pulmonibus instructae; discrimine inter dorsum et ventrem, et corpore nunquam perfecte cylindrico intervallum quod Pentactis et Molluscis interest, quodammodo expletes.

TRIBUS 6. TREPANG.

Corpus subcylindricum. Os anticum, Tentaculorum 10—20 circumdatum circulo. Tentacula peltato-capitata.

Dubia mihi haec Tribus. Aliae fortasse, ut Trepang ananas veris adnumerandae holothuriis, aliae, ut *H. peruviana*, *H. impatiens*, si re vera nullum inter ventrem et dorsum discrimen, synaptis cognatae.

Sp. 2. *Ananas*. Collect. Schoenl.

Sinensium lingua: Tjie. Malaiorum lingua: Pandang sive Ananas.

Septem pollices longa, unum pollicem et tres lineas in diam., venter planus, pedibus densissime obsitus. Dorsum convexum. Extremitates rotundatae. In dorso papillae conicae, paululum aduncae, dimidium paene pollicem longae, in basi tres lineas latae, ad laterum marginem in horizontalem densam iunctae seriem, basi connatae, in extremitate anteriore antice, in posteriore postice spectantes, duae plerumque basi connatae. In reliquo dorso trium ad octo papillarum basis iuncta est, atque, ut *Alyssi* pila, stellatim dispositae sunt hae papillae, scabriusculae, granulosae, illicii anisati aliquantum similes capsulis. In harum compositarum papillarum intervallis minores conspiciuntur verrucae mamilliformes, pedes, ut videtur, ferentes. Os anticum inferum, tentacula decem, (an plura?) pelta crassa capitata rugosopapillosa instructa.

Color Holothuriae siccatae fuliginosoniger, rubrofuscus.

Fumo siccatae ex ins. Celebes misit hanc speciem Doctor Esel.

Duodecim minime pedes sub aequore in arena.

Figurarum explicatio.

T. I.

- F. 1. *Synapta Beselii*. Magn. nat.
- F. 2. Eiusdem: a) Intestinum. b) Ovaria. c) Annulus cartilagineus. d) Musculi longitudinales. e) Vasa locomotoria.
- F. 3. *Pes eiusdem anchoriformis*. Longit. nat. $\frac{1}{3}$ lin.
- F. 4. Ovaria eiusdem sub micr.

T. II.

- F. 1. *Bohadschia argus* pedibus retractis. 1. b. Anus eiusdem stellatus.
- F. 2. *Mülleria lecanora*, pedibus retractis. 2. b. Anus eiusdem dentibus armatus. (Magn. ubique nat.)

T. III.

- F. 1. *Trepang ananas*. a) Tentacula. (Magn. nat.)
- F. 2. *Holothuriae atrae* a tergo apertae viscerum pars anterior. (Magn. nat.) a) Ventriculus. b) Annulus glandularum hepatis analogus. c) Ductus humoris locomotorii. d) Vesicae locomotoriae. e) Testiculi. f) Ovariorum pars. g) Pulmonis intestinalis ramuli nonnulli. h) Iidem inflati. i) Intestinum.
- F. 3. Musculorum longitudinalium par unum *Mülleriae echinitis*. a) Vas longitudinale locomotorium. b) Dens analis.
- F. 4. *Bohadschiae argi* ovariorum pars. (Magn. nat.)
- F. 5. Eiusdem ovaria sub microsc.
- F. 6. *Mülleriae echinitis* ovaria sub microsc.
- F. 7. *Holothuriae fuscocinereae* testiculus sub microsc.
- F. 8. *Mülleriae lecanorae* pulmo intestinalis sub microsc.
- F. 9. *Bohadschia marmorata* a dorso aperta. a) prima, b) secunda, c) tertia intestini pars. d) Cloaca. e) Pulmo locomotorius. f) Pulmo intestinalis. g) Appendices bronchi renibus fortasse analogae. h) Anus stellatus.
- F. 10. *Bohadschiae marmoratae* appendix bronchialis inflata.

